V.


Rex

Gelasino Gaspari: Ἐπικρότησις sive Tripudium

ΕΠΙΚΡΟΤΗΣΙΣ
SIVE
TRIPVDIVM
PER GESTIENTES
INVITANTE APOLLINE
M V S A S.
HYMÆNEO
INVICTIS[mi] AC POTENTIS[wi] Dñi D.
V L ADISLAI IV.
Poloniæ ac Sueciæ Regis, &c. &c.
E T
SERENISS[mæ] ATQVE AVGVSTISS[mæ]
CÆCILIÆ RENATÆ
Archiducissæ Austriæ, Ducissæ Burgundiæ, Styriæ, &c. &c.
NEOSPONSORVM.
PER
M. GASPARVM GELASINVM Leop. Philos. in alma Acad. Crac. Doct. & Professorem, Collegij Min. Collegam.
PVBLICATVM.

CRAC. Ex Officina Francisci Cæsarij, Anno Dni 1637.

In Augustisimum Serenissimæ Regiæ Maiestatis Insigne.



HIC tibi Fortunam cumulauit clara Maniplus
Lechia, quem Iouis hic ales abunde fouet.
Austria sed quem nunc sociali fœdere nectit,
Cœli, plena tibi Copia, sede ruit.

Ioannes Wolphowic Leopol. Art. & Philos: Baccalau.

POETA.

EST locus, ætherei ſpectans orientia Solis
Lumina, purpureis quem primùm vultibus ardens
Nobilitat Phæbus, lotis cum gurgite vaſto
Oceani curſu ſpumantibus vſque quadrigis
Auricomum caput æquoreis producit ab vndis,
Et patulo nigras depellit ab æthere noctes,
Clarum purpuream ſpargit lucemque per orbem.
Donec hic effuſas in curſum rite quadrigas
Titan agat, rutilum & iubeat percurrere Olympum,
Quamq; prius mundi perluſtret lampade corpus
Luciſluâ, grato terram recreetq; calore,
Hæret: & inprimis toto defixus in orbem
Obtutu, celeres oculos fert omnia circum,
Quæ vel in æquoreis degunt gratiſſima limphis
Corpora, vel quæ lanigeræ per compita currunt,
Aut denſas pecudes ſyluas lucoſque pererrant,
Vel quæ mortales nuper promiſſa Tonanti
Vota ferant: qui Marti hoſtilia corda litare
Approperet, qui Triptolomo Cererique ſuaue
Ferre melos: vel qui tentare Thetin, ſua vela
Vel dare Neptuno, rapidis vel credere ventis.
Sic oculis Phæbus quando ſimul omnia ſpectat,
Atque ſalutifero per ſingula lumine currit:
Ecce inter reliquas hinc inclyta Lechia formas,
Inde ſerenato præcellens Auſtria vultu,
Vtraq; flammigeros Phæbi perſtringit ocellos,
Obtutumq; tenens, radios mox iuge micantes
Prouocat vſq; magis, magis attonitumque ſtupore
Pertrahit, & Phæbi aſpectum ſibi mancipat omnem.

Ille ſed vt ſpectat vultus vtriuſque venuſtos
Et pulchrè formas læto ſplendore micantes,
Auguſtam faciem Maieſtatiſque potentem,
Qualem nec Tyriæ cognôrat gloria Thæbæ
Olim, nec multo Carthago decore ſuperba,
Nec niſi quod poterat Graiûm concedere fraudi
Ilium, & Auſonij laus, inclyta Roma Quirini:
Terque quaterque rotat currum, volucreſq; quadrigas
Auſtriaci circum Lechicique per orbis amæna,
Quò mage cæleſtes expreſſerit vndique laudes,
Nôrit & Auſtriaci nomenque iubarque decoris,
Et Lechicis repleat roſeos ſplendoribus ignes.
Ergo currit iter, lætus volitatque per aſtra,
Et gratus recreat ſaliens ſua lumina Phæbus
Luminibus, quæ vel cæleſtibus Auſtria flammis,
Lechia vel Solis radijs ſuperaddit amænis.
Ac vbi diuino celebres tunc ebibit ore
Virtutes, & vtramq; hauſit benè lumine Diuam,
Protinus exclamat, multâ & velut ebrius arte
Ambas alloquitur promens has ore loquellas.
Auſtria magnificas inter celeberrima gentes,
Lechia ſublimes inter numerata Dynaſtas.
Lechia digna polo, toto venerabilis orbi:
Auſtria ſydereas interponenda cateruas.
Auſtria deliciæ ſupremi & cura Tonantis:
Lechia grata Deo, gratiſſima Lechia Olympo.
Lechia Dia parens Regum, Regum & pia nutrix,
Auſtria totius quam Reges orbis adorant.
Auſtria tota Panomphæo quæ dedita Chriſto es,
Lechia Verbigenæ ſoli iurata Tonanti.
Lechia murus ahene⁹ aduerſum Hæreſis hydrã,
Auſtria

Auſtria Tartareas citò cædere docta cateruas.
Auſtria prudentis Bellonæ digna propago,
Lechia Bisthonij perquam inclyta filia Martis.
Lechia docta, Iouis cerebro cum Pallade nata:
Auſtria quam ſanctè ſapientia dia gubernat.
Auſtria fortunæ nullis obnoxia furtis:
Lechia docta malæ ſortis deuincere fraudes.
Lechia virtuti ſoli ſeruire parata;
Auſtria virtuti faſces ſubmittere nata.
Auſtria laurigeris multum decorata triumphis,
Lechia magnificis latè viſenda trophæis.
Lechia diuino portanda per æthera cantu,
Auſtria cæleſti cantanda per omnia laude.
Auſtria ſubnixum curis quæ grandibus orbem
Catholicum virtute foues, nec viribus vllis
Parcés, quin, ſi quæ, Chriſti pia Sponſa, perîcla
Forte reformidat; feſſis Tu occurrere prima
Conſuêſti, dubijſque ſimul ſuccurrere rebus.
Lechia quanta Tuo rutilat (prô) gloria vultu,
Hac ſummos imoſque tenes, hanc ſuſpicit orbis,
Quâ patet in totum terræ, colit hanc & adorat
Mortalis quiuis, in cuius pectore Numen
Inſedit melius, ratio vel ſuggerit omen.
Auſtria quàm Te Pallas amat, ſapientia nutrit,
Quam Tibi corda patent Conſi, quàm gloria Martis
Te in bellis ornat, Te mactat laude togata
Pax, & Palladiâ Tibi tempora cingit oliuâ.
Lechia cui Primas tribuit ſapientia laudes,
Et Dea virtutum Pietas, caſtiſſima Patrum
Priſca fides, fœdam nullis quam erroribus vnquam

Æternùm conſtans Tibi ſemper Lechia ſeruas.
Tales cùm Phæbus plaudenti voce loquellas
Miſcet, & effari roſeo parat amplius ore,
Intonuit cælum, miti crepuitque ſuſurro:
Nec mora cæruleæ ſoluuntur cardine poſtes,
Ipſeque fulminibus vallatus Iuppiter aſtat,
Et Phæbum verbis mox ſic compellat amicis.
Linque moras Cynthi, laudes quid promere cōfert
Auſtriaci Lechicique orbis, quas inclytá Cæli
Pegmata vix capiunt? venient ſacra tempora, quando
Bellua depoſitis Othomanica nempe ſuperbis
Criſtis, ſub pedibus Regis calcata gemiſcet
VLADISLAI: cùm totus portabit honores
Certatim mundus, virtuti & rite litabit
Eius, noſtro illum in numero meritoque locabit.
Vel ſacra cùm ſoboles Lechiæ magnū incrementum
Cæli, Maſſagetaſque truces, Indoſque ſuperbos,
Et quæ terrigenis nunc haud eſt cognita tellus,
Imperio premet, & ſeruos ſibi viuere coget:
Tunc Lechiam mirabere, tunc tandē Auſtria multùm
Vſque tuos clariſſime Phæbe tenebit ocellos.
Nunc iuuat optatos thalami felicis honores,
Nunc ſacras celebrare faces, nunc dicere vota,
Nunc cantare Hymen, plenis & lilia ferre
Nunc calathis, pedibus choreas nunc plaudere, caſtas
Nunc cantare iuuat pia carmina iuge ſorores.
Auſtria Sponſa thorum ingreditur Regis, ſimul atque
Magnanimi formoſus Hymen commigrat in altum
Cor Regis, celebrate hymen, Io dicite Io,
Dicite Io Pæan, Io bis dicite Pæan.
Sic fatus, cælo Diuûm comitante cateruâ

Labi

Labitur, augustis vt prospera tempora fundat
Coniugibus, cunctis rebus faciatq; beatos,
Nec mora tunc Phæbus Charites doctasq; sorores
Inuitat, ac hilari plaudens sic conuocat ore,
Lapsus ab Astrifero festa ad Connubia cælo
Phæbus adest. Vos ô Superi, vos cernere coram
Possumus Aonij Vates. En panditur æther,
Et longo in nostras ascenditis ordine terras.
Currite Pierides per compita currite Musæ,
Linquite Parnassi Comites iuga linquite Musæ.
Currite docta cohors Heliconia currite Phæbi,
Ferte melos, portate chelyn, date dulcia Phæbo
Barbita, nunc aptate modos, nunc dicite Carmen,
Quale vel æthereis consuêstis dicere Diuis,
Aonios hilares inter vel psallere montes,
Vosque meæ Charites, magni Iouis inclyta proles,
Quæ vel in Elysijs felices degitis aruis,
Siue Deas inter lusus aptare venustos,
Pergitis, huc conferte choros, huc gaudia læta,
Huc numeros, huc rite melos, huc tollite plausus.
Vix ea fatus erat Phæbus, mox agmine pulchro
Hinc Charites currunt, veniunt lætæ inde sorores,
Instructæ docto istæ Carmine dicere laudes,
Hæ pulchros pedibus numeros celebrare paratæ.
Omnes quæ poterant Parnasso munera Sponsis
Ferre, hilares portant, iam Carmina dulce canentes.
Dumq; faces accendit Hymen, dum Numine pompam
Propitio exornat, socialesque instruit ignes,
Ecce coronatâ plectrum testudine ducens,
Inclyta Calliope roseo sic inchoat ore.

SERE-

SERENISS^mæ SEMPERQ. AVGVSTÆ

IAGELONIÆ
ET
AVSTRIACÆ
Lechico sub Diademate radianti
MAIESTATI
CALLIOPE
VICTRICEM PALMAM.

Vincit onus molemq́ grauem ceu palma virescens,
Sic Maiestati sors mala nulla nocet.

ODE Tric: Tetrastr.

TEstudo Diuûm deliciæ, inseris
Quæ, digna cælo pectora, posthumæ
Æternitati, Cælitumque
In nitido numero reponis.
Effunde plaudens Palladium melos,
Cunctisque mundi partibus occine
Augustum Hymen, longè & micantem
Austriacum Lechicumque Solem.
Tedas iugales mox & in intimos
Cæli recessus ingere: fasciam,
Quæ dexteras Regum beatas
Colligat, vsq; polo repone.

Regale

Regale lumen non valet angulis
Terræ teneri, neſcit in abditis,
Latere finibus caduci
Orbis, & intereuntis æui.
Sed verò Palma vt florida, ſtipite
Recto ſupernum fertur in æthera.
Ramoſque partes latè in omnes
Porrigit omnepatentis orbis.
Diuina Regum ſic vbiuis licet
Splendet locorum, pegmata ſed tamen
Excelſa, MAIESTAS, Olympi
Suſpicit, auſpicijs ſecundis.
Cæleſte Regum Par, cui fædera
Tori iugalis, frugiferæ omnium
Parentis, & cæleſtis aulæ
Cunctipotens Pater approbauit
Æuo perenni, quidquid vtroque ſub
Phæbo vſque terrarum iacet, hoc Tibi
Inſeruiat ſoli: Scythes Te
India Te & Garamantæ adorent.
Te Sol beatis temporibus diu
Fæcundet: ætatem & Pylij ſenis
Elargiatur, ſub Tuiſque
Iam pedibus fera ſors gemiſcat
Quocunque tempus, commoda Patriæ
Vel inuitabunt Te, bona fauſtitas
Ducat gradu ſemper beato,
Te ſimul ipſa vehat ſaluſque.

ÆTERNÆ
Quam Hæreditaria in IAGELONIO & AVSTRIACO SANGVINE
VIRTVS
SERENISSIMIS AC POTENTISSIMIS PEPERIT
NEOSPONSIS
IMMORTALITATI
VRANIA
NVSQVAM MARCESCENTEM
CEDRVM.

Enecat æternam caries non improba Cedrum
Sic Regale diu ſtat ſine morte decus.

ODE Dicol: Tetraſtr.

FAlcibus Saturne ferox acutis
Lubrici qui non finis, vt perenni
Tranſeant greſſu celeres leueſque
Temporis horæ,
Cuncta ſed motu rapis inquieto,
Vel truci ferro perimis, iubes vel
Amplius nunquam reditura triſtes
Currere in auras.
Imperî fines age qui memento
Sint tui, ne falx, aliena tangat

Quæ

Quæ Pater Diuûm voluit perenne
Viuere in æuum.
Scinde qui cælum haud ſapiunt agreſtes
Spiritus, duras populare mentes
Queîs moras præceps breuiore fatum
Limite ſcripſit.
Quos ſed æterno ſociauit æuo
Neſciens finem Deus, atque donec
Cynthius cælum peraget quadrigas,
Viuere iuſſit.
Ne caue tangas. Quid enim feroci
Eſt opus ferro laniare pectus
Alma quod virtus fouet inuidendæ
Neſcia mortis.
Viuet extento VLADISLAVS æuo,
Quamque felici, ſibi Rex, fauente
Coniugem, cælo, ſociauit almam
Fædere, viuet.
Nil, quod hîc triſtis rabido vetuſtas
Ambedat morſu, penitus videbis,
Fruſtra eheus fruſtra exacuis minaces
Inuida dentes.
Neſcit hem neſcit generoſus iſte
Sanguis infeſtam cariem, ſed omnî
Vt Cedrus ſemper libanitis vſque
Tempore viuet.
Viuat iſtud Par Lechico Trioni,
Gloriâ celſum quatiens Olympum,
Omnibus, toti, genitus, triumphis,
Viuat & orbi.

PERINCLYTO
SERENISSIMÆ REGIÆ MAIESTATIS
CONIVGIO
EVTERPE
Semper Fragrantem
MALVM CYDONIAM.
Et viret hæc Malus, iucundum & ſpirat odorem,
Regali hoc viues Lechia Coniugio.

ODE Dic: Diſtroph.

SAcras iungite dexteras,
Quas non vlla dies, fata nec impia
Rumpant, purpureas ſacri
Reges, tempus adeſt, iungite dexteras.
Blandis en venit aurea
Vobis auſpicijs lux, roſeamque ſol
Componit melius facem
Dum flammas Pyrois amplius euomit.
En iam fædi abeunt dies,
En rerum facies nubila profugit,
Dum æther lenius intonat,
Ingenti & cumulant Cælicolæ ſua
Plauſu munera, cùm omnia
Adſtant connubio Numina, cùm fauent
Applauſuque ſuo increpant,
Reges iungite Io, iungite dexteras.
O Par Connubio ſacrum,
O Regina Tuo proſperior magis

Sponſo

Sponſo, Tuque ſimul magis
    Sponſâ proſperior Rex. Quid enim haud vides
Quêis hæc forma genis micat?
    An non Palladijs? Quid Cytherea? non
Tales nempe gerit Comas?
    Hoc Saturnia non lumine fulgurat?
Ne mortalia Virginis
    Credas corda, Tuas Virgine Regiâ
Hac ſortes ſuperûm bene
    Æquabis. Sed enim Tu quoque lumina
Sponſum in flecte animi, inclyta
    Virgo, nonne Viros inter is eminet
Qualis nocte ſub vdulâ
    Extinguit ſocios Lucifer emicans
Ignes purpureus. Vide
    Alta menteque ſub, finge, quis, aut mage
Olim quantus erit, cùm ei
    Occurres reduci, magnifico ſimul
Curru inuecta triumphum ages,
    Effuſæ quatient aſtraque vocibus
Vrbes. Viuat Io, Io,
    Par regale Io, viuat Io, Io.

AVGVSTÆ
Iam, Iamque præſentiſſimam Poloniæ ſalutem
GERMINANTI
Diuino conſilio Nubentium Regum
PRVDENTIÆ

CLIO
AMYGDALVM.

Et flores, & maturas citò Amygdala fructus,
Coniugio Regum pullulat anne ſalus?

ODE Tricol: Tetraſtr.

ECquid ſuperbos Dardana ſpiritus
Extollis? ecquid vertice ſydera
O Roma geſtis tangere? & te
Dicere delicias Deorum
Audes? Camillos cùm numeras tuos
Aut Africanos ſuſpicis, inclyto
Aut Marios, vel Scæuolas, ſeu
Magnificos animo Catones.
Iactas quid alti prodiga terminos
Ac vſque terræ, finibus imperi
Æquas? tuis vtrumque Phæbum
Sub pedibus latuiſſe gaudens.
Fæcunda virtus hæccine cernitur?
Poſſeſſa Patrum robore, laudibus
Efferre, quæ ſegnis voluntas,
Alterius pedibus, Nepotum
Permiſit. Hæc eſt propria ſcilicet
Laus, vera virtus, parta laboribus
Patrum tueri quæ ſcit, vltra
Tradere pignoribuſque ſeris.
Hæc nata virtus in Iagelonià
Per quam beatâ ſtirpe, & in Auſtriâ
Pulchrè nitet ſæclo perenni
Tempore & vſque nitebit omni.
Quis non in altis pectoribus ſatis
Miratur olim magnanimi ſacram
Prudentiam Regis, ferox quem
Surripuit Lacheſis cum amænâ
Conſorte dignâ temporibus ſenis
Pylî, atque dignâ perpetuâ poli

CON-

CONSTANTIA immortalitate,
Austria qnam Lechico Trioni
Donauit: ast quid luctificis iuuat
Turbare mentes vsque doloribus
En viuit illud Par beatum;
Et noua gaudia Patriæ fert.
Polona gaude gens, timeas fere
Hostis, tuam heus in perniciem noui
Sponsi, vetus lumen Polonæ
Nempe rei venit, heus caueto.

INVICTÆ
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS
FORTITVDINI
ERATO
QVERCVM IOVI SACRAM.

Quercus amica Ioui, nullo commota furore
Venti stat, Virtus Regia talis adest.

ODE Tric: Tetrastr.

O Quàm magnificis digna es honoribus
Quercus, quam Casius seruat &, & fouet
Semper Iuppiter, atque
Diuorum Pater inclytus.
Tu quæ Magnanimûm tempora Principum
Ornas, quos Patriæ dura pericula
Mortem temnere cogant,
Dum Ciuem subita Atropos
Absorbere parat, cæca vel hostium
Contendit Nemesis tradere funeri.

Tu

Tu quam flamina sæui
Venti vertere non queunt
Æternum sacrosancta ante palatia
Regum stabis, & vltra Garamantas &
Indos Martia mittes
Corda, elinguis es ilicet.
Testare altisono robur aheneum
Cælo, te quoties lumine fulgido
Titan viderit, vsque
Reges supplice gloriâ
Nostros lætus adoret, foueat simul
Curâ sospite, ne tam inclyta Numina
Regum, sors mala, quouis
Ausu tangere gestiat.
Sensit percelebrem hanc vis Othomanica
Virtutem, Osmanias quando acies mei
Reges, nomine solo
Mandabant stygijs aquis.
Quid? non Moschua ferox? non stygia Hæresis
Inuictum fugiens VLADESILAE Te
Virtutemque fouebit
Istam nempe Tuam sacram.
Viues inclyte Rex, tingere limpida
Et quo se properant lumina Cynthij,
Robur barbara tellus
Tantum ô quàm citò sentiet.
Viues, Oceanus gestit honoribus
En iam vos celebrare, en citò gloriâ
Vestri Nominis alti
Tellus tota superbiet.

DIVINÆ

DIVINAE
In Augusto Iagelonij Austriacique Nominis Sanguine
RADIANTI IVSTITIÆ
TERPSICHORE
MALVM MEDICAM.

Aurea poma gerit, pulchrè halat, cortice amara
Asperat: est talis regia iustitia.

ODE Dic: Tetrastr.

EN Hymen venit superis ab oris
Lapsus, augustum celebrate Pæan,
Quale vel celso residens in axe
Cantat Apollo.
Siue currentes per amæna Phæbi
Prata Pimplææ resonant sorores
Siue ludentes Charites iocosa
Voce susurrant.
En Hymen venit superis ab oris
Multa quem stipat bene sors secundo
Omine, augusto celebrate lætum
Carmine Pæan.
Lechiæ sacram celebris salutem
Austria apportat, generosa vultu
Candido Regem venerata Virgo est,
Dicite Pæan.
En Hymen venit rutilans Olympo,
Dexteras sacras sociare Reges

Iussit, en lætus thalamo iugales
Vstulat ignes.
Iam sacrum digno diadema clarè in
Vertice effulget, gerit & decora
Virginis iam sceptra manus, beatum
Dicite carmen.
Ecce in Augusto generosa ritè
Virgo iam sedit solio, iam habenas
Imperî sanctè tenet, hinc amænum
Dicite Pæan.
Iam polus nobis fauet, & beata
Præmia apportat, renidensque tellus
Optimè ridet, sequiturque pleno
Copia cornu.
Næniæ tristes abeant, dolorque
Anxiûs longo iaceat sopore
Nil iuuat prorsus vigili reclusum
Pectore vulnus.
En Hymen venit superis ab oris
Multa quem stipat bene sors secundo
Omine, augusto celebrate lætum
Carmine Pæan.

R E G A L I
In Avgvstissimis Neosponsis
Diuino more
R V T I L A N T I CLEMENTIÆ
M E L P O M E N E
B V X V M.

Perpetuò

Perpetuò est viridis Buxus, clementia quippe
Regum, non vllo tempore arescit atro,

ODE Disc: Distroph.

DIuis edite Regibus
Rex, Diuûm & superis digne Palatijs
Cuius pectore in emicat
Non humana feris horrida flammulis
Ira: aut effera, gentibus
Atque exosa tyrannis ciet austerum
Pectus, fulmen & haud spuit,
Mentes quod timidas vrat & impijs
Fædè sorbeat ignibus.
Sanctè compositum sed geris inclytum
Pectus, Pneumate cælico
Plenum, quò (veluti munificus Pater
Sueuit sanguine proprio
Cretos dulce fouere & bene filios)
Diuino Tibi munere
Concessum populum vt Celsitonans regas.
Diuis edita Regibus
O Regina, Deûm digna Palatijs,
Cui mens fulgurat omnium
Virtutum superis quæ ædibus enitent
Gazâ; Nobile Principum
Par ô viue diu, sorteque prospera
Flore, ac auspicijs bonis
Fines imperij profer, & hinc Tibi
Thule seruiat vltima,
Ac vt pulchra viret Buxus, & omnibus

Annorum ſpatijs nitet,
Sic Tu nobile Par omnibus emine
Orbis Regibus. Hîc Tibi
Vno dulce Tuum carmine concinet
Pignus. Cælica pectora
Regum viuite Io, ſic Io viuite
Fauſto ſydere proſperè
Vt felice ſolent lumine nauibus
Lucere OEbalij Dij:
Vos diuina diu dextera geſtitet,
Illam quam Patriæ intima
Spes poſcit ſobolem fundite regiam,
Vitam fundite Patriæ
Quam poſt grata diu poſteritas colet.

MERITISSIMÆ
REGALIBVS VIRTVTIBVS
PACI
THALIA
OLIVAM.

Laurigeram ſignat bona pacem Palladis arbor
Quid niſi Coniugio hoc Pax mihi certa venit?

ODE Dic Tetraſtr.

SAt luctuoſis funeribus datum
Gradiue, iam ſat ſanguine Manibus
Dis hoſtico litauimus, iam
Militiæ ſileant tumultus.

Bellona

Bellona prudens ægyda proijcit,
Quando ſereno iam videt inclytam
Vultu quietem bellicoſi
Ire ſuper nitidos Penates
Regis. Quid? ergo nubibus excidunt
Imbres in agros ſemper? & aut mare
Vexant inæquales procellæ
Littora concutiuntque amæna.
Tandem ſereno lumine Cynthius
Aſpectat infeſtum æquor, & impetus
Mox æſtuoſos comprimit, nec
Grande ſinit pelagus moueri.
Quati cruento vidimus impetu
Martis furentes in fera ſpiritus
Bella, & graui curſu citoque
Sanguineos latices fluentes.
Senſêre dextras Heſperij ſinus
Noſtras, Eous nouit & orbis, &
Quicquid Notuſvè turbiduſvè
Forte ſoli Boreas pererrat.
Nunc iam Quieti Numina languidæ
Fauent, & almos (Marte procul) dies
Petita conferunt: Fauete
Quos fera bella diu fatigant.
Pax alma currit: Barrus eburneo
Qui dente ſæuus Martia vincere
Antehac ſolebat bella, nunc fert
Grande iugum ſtimulis ſubactus.
Pax alma currit, fertilis it ſimul
Et annus, alto dicite gutture

Laudes nouis Nuptis, & vſque ad
Aſtra ſacros celebrate Sponſos.
Viuat beato Sponſus in ordine
Regum, beato Sponſaque Principi
Corregnet, & longo ſerenos
Tempore rite legant Nepotes.

AVGVSTISSIMIS
Quas Virtus Sanguini Iagelonio &
Auſtriaco copulata
DEBITAS SIBI FECIT
Victorijs, Trophæis, & Triumphis.

POLYMNIA
LAVRVM.

Patria certa tibi Laurus fert ſigna ſalutis,
Regum ex Connubio hoc, quid niſi certa ſalus?

ODE Dic: Tetraſtr.

CÆſarum quiſquis veteres triumphos
Suſpicis, quiſquis veneranda luſtras
Geſta, victrici redimita ſiue
Tempora lauro,
Cerne virtutes, nitido ſinu quas
Dia vel nutrit Iagelona ſtirps, vel
Seruat excelſo gremio beata
Auſtria ſemper.
Cæſarum ô mendax (vetus vſque quamuis)
Fama, quæ multo maculoſa cæno
Princi-

Principum ſacrâ redimita iactas
Tempora lauro.
Ergo crudelis caput inuidendum
Roma vidiſti populo canente
Ferre Neronis generosè ouantem
Rite coronam?
Voce & excelſâ venienti amæne
Viuat & viuat meus vſque & viuat
Dixeras Cæſar, populandus atris
Ignibus Vrbem?
Neſcit impurum ſcelus ah ſerenæ
Ferre virtutis decus, & ſub auro
Horridum fætet, celebreſque ocellos
Turpe çolorat.
Nulla ſolennes memoret triumphos
Gens, ſuperbas quin taceat proterua
Eloqui lauros. Tibi VLADISLAE hæc
Debita laus eſt.
Nemo ſic nouit rigidas Phalanges
Hoſtium victor ſuperare, bello
Incruento, perceleri & ſecundo,
Hæc Tua laus eſt.
Magne REX ſoli Tibi tot triumphi
Quotquot aut orbis capit, aut videre
Sol poteſt, debentur. Age alma Laurus
Te ſibi donat.
Te coronatum viridi trophæo
Gens adorabit Lechica, & potentes
Efferent Reges, feret & ſalutes
Terra poluſque.

POETA

POETA.

HÆc cùm sic doctæ promunt monumenta Sorores
Plaudentesque sacro volitant per sydera cantu,
Mox Regale pio veneratus poplite fædus,
Tales conceptis fert votis ore loquelas
Ambrosio, Aonij cætus moderator Apollo.

APOLLO.

LEchia sydereas summis quæ laudibus arces
Æquas, quæque salutifero dignata Tonantis
Complexu, cunctas magno Vrbes vincis honore.
Accipe quam sacro defert tibi fædere Numen
Sortem, quæ felix æuum durabit in omne.
Quæ Tibi regnatura venit felice RENATA
Nomine, Fortunam fausto reuocabit abunde
Omine, fortunam quam olim est venerata vetustas
Lechica, fortunam totus quam mundus amauit
Olim, Cælicolæ diui nimiumque probarunt.
Hac Tibi cum Consorte iterum vehet aurea magnus
Sæcla VLADESILAVS, quanta olim antiqua propago
Vidit Lechiadûm, quando sol sponte ferebat
Omnia, poscebat quæ hominum quandoque voluntas.
Hæc Tibi reseruet plaudentibus inclyta fatis
Virgo, felici quæ te beat omine. Virgo
Nomine cælesti quam vis diuina beauit:
Cælitus vsque sibi Virgo Lechiæque RENATA.

Impensis ex fundatione perpetua Generosi olim Dni Bartholomæi Nouoduorski, Equitis Melitensis, &c. &c.